



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

13. Quare instituta est Eucharistia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

nem panis aut vini substantiam, sed omnino conuersa est in Christi corpus & sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus.

Secunda est, sub eisdem speciebus verè & realiter esse corpus & sanguinem Christi.

Tertia est, sub vtraq; specie, & sub altera tantum esse totum Christum: verbi gratia, sub speciebus panis esse totum Christum, nempe corpus & animam vnitam diuinitati. Similiter totum Christum esse sub speciebus vini. Dices, si totus Christus est sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini, quare dicitur communiter, quod species panis continet corpus, species vini continet sanguinem? Respondeo quodam exemplo. Cum tu vocas famulum tuum, aut amicum, hic autem venit coram te, clarum est, amicum esse coram te, & non solum ipsum, sed ipsius vestimenta; nam vestitus venit: si ergo petam à te, tu vocasti amicum, quomodo & hic sunt vestes: respondebis, ex vi verbi mei, quo vocaui, solus amicus adest, & qui ipse vestitus erat, ratione coniunctionis vestimentorum, nam sunt hic vestes. Eodem ergo modo intelligas, sub speciebus panis est tantum corpus Christi, ex virtute verborum consecrationis, quæ erat, *hoc est corpus meum*; at quia corpus est cum anima & diuinitate, fit, vt ratione concomitantæ totus sit Christus. Similiter sub speciebus vini ex vi verborum sanguis est: dicitur enim, *hic est calix sanguinis*; tamen quia sanguis est cum corpore, & corpus cū anima, & hæc diuinitati vnita sunt, sunt & ista omnia sub illis speciebus. Quando ergo audis, sub speciebus panis esse corpus, sub vini, esse sanguinem, intellige, ex vi significationis, tamen ratione concomitantæ, totus Christus est sub altera specie.

Quarta est, illa accidentia panis & vini per se sunt, nec subsistunt in corpore Christi, sicut sustentantur in pane. In his quatuor veritatibus, præcipuè innititur ratio huius sacramenti.

Quare instituta est Eucharistia.

C A P V T XIII.

Sacramentum hoc à Christo Domino in vltima cœna institutum est, in hos quatuor præcipuos vsus.
Primus, vt esset memoriale quoddam mortis & passio-

nis

nis eius. Representat autem optimè hoc sacramentum mortem & passionem Christi: in hoc enim, quod species panis ex vi significationis representant & continent corpus, vt à sanguine separatum: & species vini continent, & representant sanguinem à corpore separatum, mors non quæcumque, sed quæ per passionem significatur, representatur. Est autem representatio maxima: nam ipsamet quæ representantur, seu significantur, sunt præsentia, puta, corpus & sanguis.

Secundus, fuit institutum in argumentum maximi & feruentissimi amoris Christi erga nos: discessurus enim ad Patrè ex hoc mundo, seipsum in pignus amoris reliquit.

Tertius, fuit etiam institutum in cibum spirituale: vt enim corpus cibo naturali indiget, vt in vita sua sustentetur, ita anima indiget cibo spirituali, vt in vita gratiæ conseruetur & augetur. Hic cibus est ipsemet Christus Dominus sub speciebus panis & vini nobis datus.

Quartus, fuit institutum in sacrificium Religionis Christianæ: voluit enim Dominus nos habere sacrificium, quod Deo in remissionem peccatorum offerremus. Hoc autem noluit esse tauros vel vitulos, vel alia huiusmodi, sed quod ipse obtulit, hoc idem voluit nos offerre. Ipse autem seipsum obtulit in cruce per passionem & mortem, & nobis etiam ipsum reliquit offerendum, sub panis tamen & vini specie. Vide quantum excedat hoc nostrum sacrificium omnia legis veteris sacrificia: in qua creatura, in nostra autem creator offertur. Hæc est oblatio munda, quam Deus Zach. i. dicebat sibi ab ortu solis ad occasum, id est, in toto mundo offerendam. Omnia hæc quatuor in vno hoc sacramento venerabili simul continentur, & coniunguntur, vt sit passionis memoriale; amoris argumentum & pignus; cibus spiritualis; & sacrificium mundum.

De fructibus sumptionis Eucharistiæ.

CAPVT XIV.

Multiplex est fructus, qui ex hoc prouenit sacramento. Primus est, viuificare. Iuxta illud Ioann. 6. *qui manducat me, & ipse viuit propter me.* Dat ergo vitā, quæ est per gratiā: vnde quoties homo sine conscientia mortalis peccati accedit, probabiliter, & rationabiliter putans se esse in